

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 82. (Neovidensis 1808. Nro. 81.)

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos*

Elysium-Meum.-Die Martis 25 Oct. 1808. (Neov. 7, Oct. 1808.)

Quaedam Germanica bene educata puella matri suæ
in Elysio (vera historia)

Ex mundo superiore.

Patere chara mater, ut de meo tibi fato
querar. Sedeo in meo cubili ante tua mes-
figiam delectica mea suspensam. ProhDeum!
quæ recordationes! A. 18. Julii sum orpha-
na, patre & matre (abi infortunium) orbata
sed tamen memoriam honorum meorum pa-
rentum mente & pectore perpetuo com-
plector.

Grates tibi ago, chara mater, vel in
sepulcro, non pro facultatibus mihi reli-
ctis, verum pro doctrina, pro educatione, &
ad virtutem institutione, quam mihi usque
ad supremum vitæ momentum inculcasti.
Memoria adhuc teneo suprema tua verba,
neque eorum unquam obliviscar, Amalia!
ajebas, alter nunc est mundus quam olim
fuerit; esto fidelis virtuti; non te patere seduci
splendore Baronis F. internum valorem in vi-
ro te procante respice; periclitare, & facto
experimento stude ejus naturam ediscere. Fa-
cultatum satis habes, ut honeste vivere pos-

sis; Cave ne ludaris. Wilhelmus, in quem tam sedulo propendes, opinor, non is homo est, qui te felicem præstare posset. At ego quidem morior, tu vero doctrina mea utere, & vale.

Hæc erant, chæra mater, tua ultima verba, tua ultima doctrina, — ea ego usa sum. Nemo me orphana existente officiosorem se mihi præbuit Wilhelmo, quippe qui et res meas diligentissime curavit, & hereditatem meam accuratissime in ordinem redegit. Totâ urbs illum mihi maritum fore prædicabat, imo ut hoc matrimonium nobis felix sit, multi precabantur. — Wilhelmus, agebat is quem magnum mundum passim vocamus, re ipsa bonum cor possidet. Hic Wilhelmus igitur, cui propter politioem vivendi rationem, & statum aditus ad primarias domos patet, est periculosus ianocentiae hostis, & tamen pro viro integro, & magnæ fidei habetur. Si cui pollicitus est, velle se ei patrocinari, id facit non expectata gratiarum actione, imo id plane lubenter facit. Facile ei esset, modo paululum ad blandiri vellet, ab una amitarum magnam hereditatem consequi. Sed ille ab his abhorret, rem eam injustam fore dicens. Nam amita mea, inquit, heredes habet sibi me propinquiore, qui illa hereditate me magis indigent. Nolo paupertate aliorum dives fieri. — Idem est lenis in sibi subjectos, & erga famulos omnium herorum optimus. In consortio modestus piaculo sibi ducit aliquem offendere.

Lusum, ebrietatem & profusionem maximo odio persequitur. — Quid igitur de hoc Wilhelmo statuendum? Mundus eum dicit uno tantum errore laborare, multis vero virtutibus præditum: at veritatem qui sectantur, nullam prorsus virtutem in eo agnoscunt.

Ille pollet intellectu, qui abunde sufficiat omnibus sceleribus adprobandis, at idem par non est perspicientiæ veritati; vel unico vitio, cui nos consulto tradimus, totum animum corrumpi. Ille pollet conscientia, quæ abunde sufficit, ut sine remorsu peccet, & quasi pactione quadam *bonum malo vult* conubio jungere, scilicet libidinis, & egoismi turpia vitia externis illis socialitatis officiis posse compensari putans. Ille ex virtutibus eas deligit, quæ sunt animo molli propriæ: benevolentiam, æquitatem, lenitatem, officiositatem, item quæ in congressibus maxime placent, & mutua officiositate compensantur. Atque adeo Wilhelmi virtutes in morum civilitate, & decoro quodam observando consistunt; illa vero aversatio, quam erga quædam vitia prodit, exemplorum educationis, quæ bona illi in juventute obtigerat, & quæ consuetudine deinde confirmata est, fructus est.

Hunc ego hominem tentamini subjeci. Levis animi Lisetta, quæ amplæ hereditatis a patruo obtinendæ spem habere potest, invisibat me sæpius, & elegantulus Wilhelmus solebat eam domum comitari. Hæc quædam matutino veniens ad me pleno ore risit adeo,

ut præ risu loqui non posset. Tandem exclamavit, vicimus, inquit, cara Amalia! Ecquidem illum cepi; me solam ille perpetuo cupit amare; en literas ejus! Heu elegantulum dominum! Jam nos eum ludemus!

In hac epistola Wilhelmus suum Lisettæ amorém testabatur, me asperæ, & frigide virtutis nominibus insigniebat, quæ viro acerbam olim vitam factura essem. His compertis ipsa etiam adridebam Lisettæ, postulavi epistolam, quam apertam per famulam Wilhelmo transmisi. Adest ille prope, mecum convenire cupit, desperationem simulat, illudque agit, ut hanc epistolam furtim in domum irrepsisse, mihi persvadeat. At dilecta genitrix! quanto errore liberata sum! Ratum fixum mihi est, nunquam ille vel a limine domum meam salutabit.

His hodie sunt moribus viri. Exempla hujus mei afferti vita quotidiana abunde suppeditat. Quanta hæc bonorum morum perniciës! Nunc ex juventute solum illi in honore habentur, qui externa specie splendent, quibus in congressibus familiaribus plausus defertur, internus autem valor, a quo solo vera hominis dependet felicitas, minime respicitur. Vitium decem virtutum coloribus fulgens placet, & potis est bonis præditam moribus puellam in errorem inducere. Perissimum in hoc genere adhuc id est, quod ejusmodi merces a mundo honoris significatione orrentur, & quod ea, qua sunt perniciosi, parte, in consortiis plerumque solum

jocose & ingeniosis diseriis traducantur, & ad summum, quatenus ridiculi sunt, reprehendantur cum tamen hæc efusa morum licentia! quæ tot jam juvenes ante tempus mori dedit, tam parum jocose carpenda esset, quam parum alia vitia ridere solemus; & anne non perditissima scelera hujus licentiae sequelæ sunt? Wilhelmus, qui personis nostri sexus innocentiam cum virtute eripere potest, me opinante non habet generoso, incoctum pectus honesto. Mibi jam irrevocabile stat decretum. O dilecta genitrix! in quod baratrum me præcipitasset! Tua postrema verba, tuum novissimum consilium me huic malo eripuerunt. Hæc ego, dum vivam, memori pectore servabo.

Ceterum nunc nos optima spe freti vivimus fore, ut nobis melius sit. Duo Cæsares, qui nunc Erfurti agunt, pace nos redonabunt. Hac fiducia pleni vivimus.

Chara genitrix! nisi tempus tam angustum, vita tot anxietatibus obnoxia, nisi horizon nostrarum cogitationum tam arctis limitibus circumscriptus foret, nisi omnia, quæ acta factaque publica concernunt, amoris aut odii studiis tenerentur, multa tibi de nostris rebus referre possem. Interim juvabit nova quædam ex publicis paginis hic inserere.

Erfurto (4. Oct.) Vicesima nona Sep. longam habuit audientiam supremus rei tormentariorum Præfectus, idemque Cæsareo Austriacus Ablegatus, C. a Vincent apud Suam Maj. Imperatorem Napoleonem.

Inter advenas distinctioris Conditionis notatu digni adhuc sunt, Princeps Oldenburg, Birkenfeld, item Principes Galizin, Gagarin, Trubetkoi, Wolkonaky; Comites Aratschew, Schouwalow, Asarowsky, Sprenky, Ogerowsky, Rose, Generales, Kitroff, Karnikoff, Villiov; Dominus Bourgoing, Gallicus Minister Dresdensis; et Princeps a Montragon.

Narratur, præter Suam Celsitudinem Principem Primatem, etiam Suam Serenitatem Regiam Magnum Principem Herbitolanum, & Suam Serenit. Dominum Principem hereditarium Badensem cum Serenissima conjuge huc esse venturos. Imo dicitur universos rhenanæ confederationis Principes huc adhuc venturos expectari.

Præter memoratos jam excelsos advenas adpulerunt adhuc, Regius Westphalicus Status minister, C. a Fürstenstein, Austriacus Supremus Vigiliarum Magister, Comes St. Aldegonde, Russicus Consul Francofurti ad Moenum, D. Bethmann &c.

Quarta hujus advenerunt etiam SS. MM. Rex Bavarix, & Würtembergæ; ad Vesperum rex, & regina Westphaliæ expectantur.

Neapoli 21. Sep. Hodie mane regina nostra Romam adventit, & post eras huc appellet. Rex a Palatio raro abest, & paucos homines conspicit. Plerumque se cum Ministris clausum tenet, & omnia regiminis negotia ipse perustrat. Inter novissimas ejus dispositiones referenda est, Cassatio illius

Commissionis militaris, quæ sine Componendorum intestinorum tumultuum erecta fuerat; venia universalis desertoribus exercitus Neapolitani concessa, item ordinatio, militibus in universo regno itinera facientibus, pære excepto, nulla alia victualia in natura suppeditatum, verum hæc diurna in antecessum pendenda 20 Cent. compensatione bonificatum iri. Denique Decretum, quo, considerato eo, quod status expensæ anno 1808 ad 12 miliones 700000 ducatos ascendant, redditus vero, præcipue teloniales notabilem diminutionem paterentur, vactigal a fundis dependendum, pro eodem anno in 7 millionibus ducatorum difigitur.

Parisiis 2. Oct. Monitor significat sub hodierno transitum militum ad exercitum hispanicum tendentium heri terminatum esse. Finem transitui fecit 76 regimen linealis, ad sextum exercitus corpus pertinentis militiæ; hoc quoque regimen uti alia exceptum, in hortis.

Ti. volensibus lauto prandio tractatum exstitit. Sumto prandio militibus quo genio indugerent per hortum dispersis, subito signum generale itineris faciendi datur. Adsumt repente universi, seque cuncti suo loco & ordine collocant: nec nisi magna cum difficultate illis per superiores potuit persvaderi, non itineris id nunc, quod auditu percepissent, sed ad novas hilaritates invitationis signum fuisse. Centum musici, & 20 tympanotribæ producebant Opus musicum, cui

titulus erat, pugna ad Friedland; concentum hunc musicum igne artificiali, qui scolorum tormentorumque ignes repræsenteret, adievante. Vere memorabilis circumstantiæ, addit Monitor, potest aliquem conceptum hujus veritatis imitando expressæ suppeditare, Principio milites prædicti regiminis gaudium plausu significabant, at postmodum viva citate musicæ, & strepitu clangoreque tympanorum animati, velut si coram hoste consisterent, universi pedibus terram quatere, Citato cursu ut erant cuncti clamare coeperunt. Inter hoc, ut viveret Imperator tanta Contentione ingeminatum, ut strepitus musicæ non exaudiretur. Decem mille spectatorum qui militibus secundabant, vociferatio, produxit, finemque fecit scenæ, quæ uno hoc ductu nationalem characterem adumbrat &c.

Viennæ (28. Sep.) Augustissima Aula, quæ neo erectum fortalicium Comaromium profecta erat, & summam in præclaro hoc opere Complacentiam suam Superioris Campi Mareschalli Locumtenenti, Marchioni Chasteller, contestata est, initio futuri mensis huc revertetur.

In hac Typographia prostat venalis:
 Catechismus Ecclesiarum Imperii Gallici.
 8vo 1 fl.

